

Luca deseritur Ugutio, qui cum filio a Luca Mutinam pervenit, inde Mantuam. Ibi honorifice suscipitur et colitur. Post hec a Pisis legati mituntur^a ad regem Robertum. Cum eo de^b conposito agitur, qui mox egit, quod inter Florentinos et Pisanos pax acta est. Exules Pissani recepti, de Lucensibus nichil actum^c est.

De bello gesto inter Canem dela Scalla et Paduanos.

Iam de rebus gestis dudum inter Canem de Scalla et Paduanos aliquid brevi stillo dicitur. Cum iam dudum Paduani moleste ferrent Vicentiam urbem eis non parere ut olim, bellum ineunt cum Cane in eis locis imperatoris vicario. Excursiones^d, incendia et populationes utrimque sunt acte. Dum Canis esset Verone, Paduani maximis copiis de noctis tempore pervenerunt Vicentiam, burgum Sancti Petri occupant, bona diripiunt^a, stupra^e perpetrant. Signa igne prestituta Vicentie dantur de turre, de loco ad locum ostenduntur usque Veronam. Canis de Scala impigre cum paucis, id est cum sex vel paulo pluribus, eques Vicentiam properat cursu citato, reliquos subsequi iubet. Equos cursu deficientes mutat. Ea nocte pervenit Vicentiam, urbe recipitur, eius nuntiatur adventus. Metus supprimitur, civibus spes et alacritas rediit; turem^a ille ascendit^f. Ex ea speculatur, notat res et hostium statum inconpositorum ac sine metu^g vagantium. Itaque acceptis equitibus minus centum et alia pedestri manu non numerosa ea eggreditur^a urbe. Eos^h qui signa Paduanorum tenebant facto clamore adoritur, a Paduanis trepida fuga ubique agitur, ad capiendum dissipatos fuga non sufficiebant insequentes. Mulieresⁱ Vicentine plurimos ex fugientibus capiebant, preter occisos^a, ut aiunt, circiter MDCC captivantur, pauci nobiles. Inter quos Iacobus de Cararia Paduanus civis prepotens; spolia maxima ex hostibus capta. Captivi Veronam ducti, cum humanitate tractati. Hac clade Paduanis^k habita Veneti ab eis

a) So Hs. b) 'de' fehlt Hs.; die Worte 'Cum — agitur' sind in der Uebers. nicht wiedergegeben. c) 'actm' Hs.; 'non fo detto' Uebers., was auf eine Lesart 'dictum' zu deuten scheint. d) 'Excursiores' Hs.; das Wort ist in der Uebers. nicht wiedergegeben. e) 'strupra' Hs. f) 'fascendit' Hs. g) Folgt g getilgt in der Hs. h) 'Eo' Hs. i) Die Uebers. hat falsch 'insequentes mulieres' verbunden, da sie sagt: 'le femine de Vicenza, che gli seguivano, ne pigliaro molti'. k) So (nicht 'a Pad.') Hs.